

detractionem; quae rationes tales sunt ut probent plerumque absque ulla culpa omitti detrahentis correctionem. Adde cum Busemb. (ap. S. Alph. ib.) : audientem saepe nescire num id quod dicitur notorium sit, tametsi ab ipso ignoretur, et in dubio non esse cur damnet loquenter; hunc insuper habere posse justam causam aliquid manifestandi, praesertim uni soli. Certe a veniali excusantur qui, advertendo detractionem, discedunt, sermonem divertunt, faciem tristem ostendunt, etc.

Superior autem sive detrahentis, sive ejus cui detrahitur, graviter peccat contra caritatem si, audiendo detractionem, eam non avertit, quando commode potest: quia ipsi incumbit specialis obligatio corrugendi detrahentem vel damno infamati obviandi. Probabilius tamen non peccat contra justitiam ideoque ad restitutionem non tenetur. Cfr. n. 546 et S. Alph. n. 979 seqq.

424. VIII. Infamare seipsum per se non est peccatum grave: Id enim non adversatur justitiae, siquidem homo famae suae perinde ac pecuniae suae dominus est; neque caritati, siquidem dilectio sui non obligat ad conservanda ea bona externa, quando non sunt necessaria ad salutem spiritualem vel corporalem. Ideo qui prodigit famam suam, per se non magis peccat moraliter quam qui pecuniam suam prodigit.

Prodigere famam est per se peccatum leve, utpote famae usus irrationalis, sicut a veniali immunis non est qui pecuniam *absque ulla causa rationabili* expendit ac profundit. Accedit quoque leve peccatum mendacii si quis falso crimen sibi imponit. Insuper per accidens grave peccatum erit, nempe si fama quam prodigis necessaria est muneri tuo obeundo vel si alii inde patiuntur gravem infamiam et similia damna. Non peccat tamen qui crimen a se commissum judici fatetur, etiamsi propterea morte plectendus est: nam ita minime causa est sua mortis, sed procurat tantum id quod in se rectissimum est, nempe ut ab eo qui legitimam auctoritatem habet juste puniatur. (Lugo, l. c. n. 153 seqq.) Sin autem finis honestus intenditur, ex. gr. demissio propria vel liberatio proximi ab injusta vexatione, per se laudabiliter fama minui vel dimitti potest.

N. B. De famae laesae restitutione agemus in tr. de Just. et Jure, n. 562 seqq.

CAPUT III.

DE JUDICIO SEU SUSPICIONE TEMERARIA.

425. NOTIONES. Hic spectamus tantum illam *internam* existimationem de vita et moribus proximi in qua, saltem inadaequate, illius fama consistit. Status autem mentis nostrae hanc existimationem intuentis, potest esse multiplex, ut circa quodlibet ejus objectum contingit, nempe: *judicium certum, dubitatio, opinio, suspicio*. Cfr. n. 51. Claritatis causa notandum est, etiam in dubitatione, qualis in praesenti materia sumitur, scilicet cum advertentia quae ad peccatum sufficiat, conjungi aliquem assensum, eumque firmum. Quare varii isti actus distinguendi sunt, secundum rem in quam cadit assensus. In judicio temerario assensus cadit in alterius malitiam tamquam certo perspectam; in dubitatione cadit in defectum motivi ad judicandum utrum quis sit bonus an malus; in opinione cadit in probabilitatem malitiae alienae; in suspicione tandem cadit in hoc complexum: *forte res ita est*. (Ball. P. n. 12)

Singuli illi actus de proximi malitia eliciti culpa vacant, si adest ratio sufficiens ad eos elicendos, ut si judicares aliquem esse malum eo quod istud ab aliquo viro probo et fide digno audisses: nam ita eliciuntur modo qui prorsus cum natura rationali congruat. Temerarii vero fiunt quando desunt motiva proportionata ad singulos assensus dandos, ex. gr. si famulum certo judicares furem esse ob adjuncta quae prudenti tantum suspicioni sufficienter. Attamen, ex humanae mentis natura, impossibile videtur ut demus assensum quando distincte perspicimus deesse rationes sufficientes assentiendi. Quare temeritas illa locum habebit tantum quando intellectus talem insufficientiam rationum in confuso advertit, sed a mala voluntate impellitur ad assensum motivis levioribus dandum. (Ball. P. n. 13)

Adverte AA. maxime discrepare in ratione nominandi vel explicandi hos varios actus intellectus. Nec mirum: nam tangitur theoria satis obscura de natura judicii erronei.

426. ASSERTA. I. Judicium temerarium ex genere suo est peccatum grave.

Ita communissime sentiunt AA. sed in assignanda ratione non nihil discrepant. Praeplacet sententia Lessii (de Just. et J. l. 2. c. 29. n. 21): "Quia talis suspicio non procedit ex errore humano aut

fragilitate aliqua, sed ex malitia qua quis vult ita suspicari, ut eum contemnat et pro vili habeat, aut ne cogatur illum in corde suo sibi praeponere; qua in re gravis est injuria: nam, praeterquam quod suspicio talis proficiscitur ex pravo affectu erga illum, etiam est perlinax. Etsi enim suspicator ille advertat se justam causam non habere, tamen vult in sua prava opinione persistere. „Videtur consonare S. Th. qui gravitatem hujus peccati sic explicat: “In quantum non est sine *contemptu* proximi.” (2. 2. q. 60. a. 3) Qua explicatione admissa, haud aegre datur ratio ob quam cum praesente asserto conciliari valeat sententia quae tenet (n. 420) non esse peccatum grave manifestare defecatum occultum gravem proximi uni viro prudenti: nam a tali manifestatione prorsus abest ille contemptus proximi qui gravem injuriam in judicio temerario fundat. Deinde per judicium temerarium aequivalenter falsum crimen proximo imponeretur: quod mortale est, etiamsi apud unum tantum fiat. (Lessius, l. c. c. 11. n. 71)

Ex hoc asserto, cum generalibus principiis de peccati gravitate collato, sequitur non fore in judicio temerario *peccatum letale*, nisi concurrant hae *quattuor condiciones*:

1º Ut malum quod proximo impingitur graviter ejus famae noceat. Qua in re adhibendae sunt eadem regulae quae de gravitate detractionis datae sunt n. 419 seqq. Attamen, cum homines gravius ferant detractiones quam mere interna judicia, aliquanto mitius de his quam de illis judicandum est. Ex iisdem regulis sequitur judicia temeraria non differre specie pro malo quod impingitur.

2º Ut assensus detur malitiae alienae tamquam certae: secus habebitur tantum suspicio vel opinio temeraria.

3º Ut perfecte advertatur ad gravem malitiam.

4º Ut, saltem in confuso, advertatur rationes esse omnino insufficietes ad tale judicium efformandum. Hinc veniale erit si signa sunt sufficientia ad opinionem saltem probabilem. Quodsi forte nullatenus haec insufficientia advertitur, habebitur merus error.

427. II. Dubitatio, opinio vel suspicio temeraria per se veniale tantum peccatum constituant: nam levem injuriam inferunt proximo, cuius famam non penitus tollunt sed minuant.

Controvertitur autem num haec *per accidens* ad peccatum mortale pertingere queant. Affirmant Lugo (l. c. n. 14) et S. Alph. (n. 963), tamquam probabilius. Rationem afferunt: quod quaedam suspiciones, ob materiae enormitatem, majorem injuriam in proximum continent quam judicia firma in aliis materiis gravibus. „Gravius enim est alicui homini quod opinetur illum haereticum vel incestuosum cum matre quam quod certo credamus esse fornicarium vel perjurum.” (Lugo, l. c.)

Negant tamen alii, neque improbabiliter. Nam ita sensisse videtur S. Th. (l. c.), qui universe discrimen inter grave et leve peccatum in hac materia repetit ex eo quod malitia alterius pro certo aestimatur vel tantum cum dubio admittitur. Similiter S. Aug. (in Joann. tr. 90): “Etsi suspiciones vitare non possumus, quia homines sumus, judicia tamen, id est definitivas firmasque sententias, continere debemus.” Hanc posteriorem sententiam tuto sequi poterit confessarius ac proinde, quotienscumque a poenitente audiverit eum cum quadam haesitatione vel dubitatione judicium temerarium efformasse, ab ampliore investigatione abstinere. (Ball. P. n. 21)

III. Dubia de personis, ad bonam vel malam existimationem pertinentia, sunt in meliorem partem interpretanda. (S. Th. l. c. a. 4) Attamen, ubi pro mala interpretatione suppetunt motiva probabilia, non tenemur ad judicandum *actu positivo et speculative* proximum reipsa esse innocentem, habuisse bonam intentionem, etc. Nemo enim tenetur ad assensum in quo exponit se notabili periculo errandi. Nam talis assensus non est actus virtutis, neque ad actum virtutis necessarius, sed est quiddam errori obnoxium, quod perfecta prudentia devitat. (Lessius, l. c. c. 29. n. 30; Lugo, l. c. n. 21)

Verum, quando agitur de vitando aliquo damno vel de adhibendo remedio, dubia possunt in deteriorem partem accipi, non quidem judicando aliquem esse furem vel improbum, sed judicando ita exterius cavendum esse et sibi illique consulendum ac si dubia esset illius probitas. Ita fieri potest ex. gr. ubi ignotum hospitem recipimus vel inferiorem ob indicia quaedam dubia suspectum habemus. (Lessius, l. c. n. 42)

CAPUT IV.

DE CONTUMELIA.

428. NOTIONES. Contumelia est injusta honoris alieni laesio.

Honor hominibus exhiberi solitus consistit in testificatione quadam de excellentia alicujus. (2. 2. q. 103. a. 1) Haec autem excellentia seu superioritas non requirit necessario ut ille qui honoratur sit excellentior honorante, saltem absolute, sed sufficit ut secundum quid superior reputetur: quod semper reputare licet, secundum illud ad Philip. II. 3; “In humilitate superiores invicem arbitrantes.” Vel etiam spectari potest idem tamquam excellentior quibusdam aliis. (S. Th. l. c. a. 2)

Singulis enim etiam infimis condicionis hominibus inest aliqua excellētia ob quam eis aliquis honor in societate humana exhibetur.

Honor exhibetur per signa exteriora, nempe : per verba, facta, res, ut si quis ore pronuntiat excellentiam alicujus, vel ei caput inclinat vel ejus imaginem instituit. (S. Th. l. c. a. 1) Regulariter exhibetur homini praesenti vel in se vel saltem in ejus signo; quandoque tamen etiam absenti deferrī potest, ut in laude absentis. Ex his patet discriminū honoris et famae, quae in existimatione interna consistit.

Laedi potest honor negative et positive : negative, si cui denegantur signa honoris pro ipsis condicione debita, ex. gr. salutatio; positive, si quid dicitur, scribitur vel agitur quod ipsis honori adversatur. Varios modos laedendi honorem AA. statuunt : convicium, improperium, irrisiōnem, etc., qui tamen discriminēt morale non inducunt. Videsis Lugo, de Just. et J. disp. 14. n. 193 seqq.

429. ASSERTA. I. Contumelia est peccatum ex genere suo grave. (2. 2. q. 72. a. 2; Lugo, l. c. n. 192)

Ratio, quia nocet homini in bonis magni momenti et quae ab eo solent pluris aestimari quam bona fortunae. E principiis autem generalibus de voluntario liquet peccari, non tantum ab eo qui directe laesionem honoris intendit, sed ab eo quoque qui, sine causa excusante, ponit actionem e qua praevidet talem laesionem secuturam esse. Quandam autem oriatur notabilis laesio et consequenter grave peccatum, eruendum est e prudenti consideratione laidentis, laesi, communis existimationis, etc. Contumelia certe gravior est quam detractio si (ut non raro fit), una cum honore, et famam laedit. Verum, ubi solus laeditur honor, videtur minus peccatum quam detractio : quia homo pluris aestimat famam sine honore quam honorem a fama sejunetum. Quivis enim homo rationabilis mallet ab aliis magni aestimari, licet nullum exterius signum hujus aestimationis darent, quam talia signa externa recipere quibus sciret nullam subesse existimationem internam. (Lugo, l. c. n. 9)

Saepe contumelia levem culpam constituit, seu quia laesio honoris levis est, seu quia absque plena advertentia profertur. Immo, juxta S. Th. (l. c.) : " Ad eutrapeliam pertinet dicere aliquid leve convicium, non ad dehonorationem vel ad contristationem ejus in quem dicitur, sed magis causa delectationis vel joci. "

II. Contumelia, aequa ac detractio (n. 419), non differt specie pro varia ratione qua honor laeditur. (Lugo, de Poenit. disp. 16. n. 265) Ratio est, quod omnes contumeliae accipiunt malitiam ex eo quod laedunt honorem, sicut furtū laedunt fortunas : ergo, sicut furtū sunt ejusdem speciei in ratione furti, quocumque modo fiant, ita de contu-

melia dicendum est. Supponitur tamen nulla alias speciei damna e contumelia sequi.

Hinc minime oportet explicare in confessione varia convicia in aliquem prolata, puta furis, adulteri, etc.

Quando e contumelia sive positiva, sive negativa, sequitur dehonoratio proximi, laeditur justitia, ablato honore qui, stricto jure, ad proximum pertinet. Ideo et restitutio facienda est : de qua dicetur n. 564.

CAPUT V.

DE VIOLATIONE SECRETI.

430. NOTIONES. Secretum, in praesenti materia, intellegitur res occulta quae occultanda manet.

Praeter secretum sacramentale, de quo Vol. II. n. 379 seqq. dicetur, distingui solent : *naturale, promissum et commissum*.

Naturale dicitur quod absque damno vel justo maerore alterius revealari nequit, ideoque ab ipsa lege naturali servandum praecipitur.

Promissum vocatur quod ab aliquo servandum est vi promissionis ab eo factae vel sponte, postquam casu aliquid didicit, vel postulante eo qui ipsi prius rem, sine contractu secreti servandi, detexit.

Commissum tandem dicitur quod alicui communicatum est ab eo cui prior *antea*, expresse vel tacite, promiserit se hac notitia non esse usursum nisi ex consensu et beneplacito communicantis. Hinc non habetur proprie secretum commissum quando notitia propriis oculis et ab ipso facto accipitur, puta si quis vocatus fuisset, prævia promissione secreti, ut interesset furto vel homicidio. In hoc enim casu non communicatur ipsamet notitia secreti cum hac promissione quod unice juxta beneplacitum communicantis usurpabitur. (Lugo, de Just. et J. disp. 14. n. 141) *Expresse* fit talis promissio si quid alicui consentienti, vel saltem non recusanti, sub secreto committitur ; *tacite*, si ex adjunctis et ex munere quo fungitur secretum accipiens liquet, istud hac lege communicari. Id liquet quotiescumque munus geritur ad quod pro consilio vel remedio recurri solet, ut theologi, advocati, medici, obstetricis. Hoc secretum solet a Theol. vocari etiam *rigorosum* : quia, post sacramentale, est omnium artissimum. Attamen non omnia secreta commissa cum eodem rigore obligant, ut infra statuetur. (n. 432)

431. ASSERTA. I. Secretum naturale obligat sub gravi ex genere suo, sicut virtutes caritatis vel justitiae e quibus obligatio oritur. Ut igi-